

locutus est; non cecidit ne unus quidem sermo ex omnibus bonis quæ locutus est per Moysen servum suum.

57. Sit Dominus Deus noster nobiscum sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos neque projiciens,

58. Sed inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus, et custodiamus mandata ejus et cæremonias ejus et judicia quæcumque mandavit patribus nostris.

59. Et sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino, appropinquantes Domino Deo nostro die ac nocte, ut faciat judicium servo suo et populo suo Israel per singulos dies,

60. Ut sciant omnes populi terræ quia Dominus ipse est Deus, et non est ultra absque eo.

61. Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis ejus, et custodiamus mandata ejus, sicut et hodiè.

62. Igitur rex et omnis Israel cum eo immolabant victimas coram Domino.

63. Mactavitque Salomon hostias pacificas quas immolavit Domino, boum viginti duo millia et ovium centum viginti millia. Et dedicaverunt templum Domini rex et filii Israel.

64. In die illa sanctificavit rex medium atrii quod erat ante domum Domini; fecit quippe holocaustum ibi et sacrificium et adipem pacificorum, quoniam altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, et capere non poterat holocaustum et sacrificium et adipem pacificorum,

65. Fecit ergo Salomon in tempore illo festivitatem celebrem, et omnis Israel cum eo, multitudo magna, ab introitu Emath usque ad rivum Ægypti, coram Domino Deo nostro, septem diebus et septem diebus, id est, quatuordecim diebus.

66. Et in die octavâ dimisit populos; qui, benedicentes regi, profecti sunt in tabernacula sua, lætantes et alacri corde super omnibus bonis quæ fecerat Dominus David servo suo et Israel populo suo.

messes qu'il avait faites; tous les biens qu'il nous avait promis par Moïse, son serviteur, nous sont arrivés, sans qu'il soit tombé une seule de ses paroles à terre.

57. Que le Seigneur notre Dieu soit avec nous, comme il a été avec nos pères; qu'il ne nous abandonne et ne nous rejette point.

58. Mais qu'il incline nos cœurs vers lui, afin que nous marchions dans toutes ses voies, et que nous gardions ses préceptes, ses cérémonies et toutes les ordonnances qu'il a prescrites à nos pères.

59. Que les paroles de cette prière que j'ai faite devant le Seigneur soient présentes jour et nuit au Seigneur notre Dieu, afin que chaque jour il fasse justice à son serviteur et à son peuple d'Israël;

60. Afin que tous les peuples de la terre sachent que c'est le Seigneur qui est le vrai Dieu, et qu'après lui il n'y en a point d'autre.

61. Que notre cœur aussi soit parfait avec le Seigneur notre Dieu, afin que nous marchions selon ses préceptes, et que nous gardions toujours ses ordonnances, comme nous faisons en ce jour.

62. Le roi et tout Israël avec lui immolèrent donc des victimes devant le Seigneur.

63. Et Salomon, pour hosties pacifiques, égorga et immola au Seigneur vingt-deux mille bœufs et cent vingt mille brebis. Et le roi avec les enfants d'Israël dédièrent ainsi le temple du Seigneur.

64. En ce jour-là le roi consacra le milieu du parvis qui était devant la maison du Seigneur, en y offrant des holocaustes, des sacrifices et la graisse des hosties pacifiques sur un autel qu'il y fit faire, parce que l'autel d'airain qui était devant le Seigneur était trop petit, et ne pouvait suffire pour les holocaustes, les sacrifices et les graisses des hosties pacifiques, quoiqu'il eût vingt coudées de long et autant de large.

65. Salomon fit donc alors une fête très-célèbre pendant sept jours; et tout Israël la fit aussi avec lui, une grande multitude étant accourue, depuis l'entrée d'Emath, jusqu'au fleuve d'Égypte, et étant demeurée devant le Seigneur notre Dieu pendant sept jours et sept jours, c'est-à-dire pendant quatorze jours.

66. Au huitième jour, il renvoya les peuples, qui, bénissant le roi, s'en retournaient dans leurs maisons avec allégresse et le cœur plein de joie pour tous les biens que le Seigneur avait faits à David, son serviteur, et à son peuple d'Israël.

VERS. 1. — TUNC CONGREGATI SUNT OMNES MAJORES NATU ISRAEL CUM PRINCIPIBUS TRIBUUM, ET DUCES FAMILIARUM FILIORUM ISRAEL (1). Quemadmodum cum David transferre voluit arcam in suam civitatem, id est, in arcem Sion, in qua illi ad breve aliquod tempus domicilium exerat, congregavit electos à populo ad triginta millia, lib. 2 Reg. cap. 2, sic etiam Salomon ad parentis exemplum electos accersivit Israel, ut cum majori celebritate ac gloriâ templum recens à se excitatum dedicaret Domino, et arcam in illud cum dignitate traduceret. In primis advocavit majores natu, quibus ætas, et canî, et multarum rerum experientia, et usus conciliare possent auctoritatem. Item principes tribuum: hi verò sunt duodecim, pro tribuum numero. Sicut enim hoc nostro ævo nobilium familiarum principes quidam sunt, qui illius familiæ ac generis capita dicuntur, sic etiam duodecim tribuum totidem à Deo designata sunt capita, qui tribuum suarum nomen et causam sustinerent, et illas in seipsis, quoad ejus fieri posset, repræsentarent. De quibus sic Deus ad Moysen Numer. cap. 1, v. 4: *Erunt vobiscum principes tribuum, ac domorum in cognationibus suis, quorum ista sunt nomina: de Ruben, Elisur filius Sedor. De Simeon, Salamiel filius Suris Adai. De Juda, Nahasson filius Amnadaab, et sic de reliquis. Quod deinde repetit cap. 2. Horum autem primogeniti parentum loco suarum tribuum principes*

(1) Alors tous les anciens d'Israël vinrent trouver le roi Salomon dans Jérusalem pour transporter l'arche. Tout Israël s'assembla aussi, etc. On voit ici une des plus augustes cérémonies qu'on vit jamais sous le peuple Juif. Tout y était extraordinaire, soit pour la grandeur du sujet, qui était la consécration du premier temple que l'on eût bâti en l'honneur de Dieu soit pour la magnificence qui y éclatait de toutes parts, soit pour la durée de cette fête qui se célébra durant sept jours suivis de sept autres destinés à la solennité des tabernacles; soit enfin pour la multitude innombrable de tout un peuple qui s'y était rassemblé. Dieu ayant dessein de nous tracer sur la terre comme un crayon de cette gloire infinie qui accompagnera la dédicace du temple du vrai Salomon, qui doit se faire dans le ciel à la fin des temps, comme la nomme saint Augustin, ne pouvait guère nous en donner une figure plus sensible, et qui nous fit soupirer davantage vers cet heureux temps. Que la vue donc de cette magnificence de la dédicace d'un temple terrestre nous fasse élever les yeux de la foi, et comme passer en esprit jusque dans le ciel, pour y contempler cet autre temple et cette autre Jérusalem céleste, dont nous devons faire partie nous-mêmes. (Sacy.)

dicebantur, et capita. Ut autem duodecim tribuum totidem numerabantur principes, sic etiam aliarum familiarum, quas alii Patriarcharum filii propagarunt, qui quoque duces et capita fuerunt. Hos olim convocavit Moyses cum dedicare voluit tabernaculum, Numer. c. 7, qui suo et suorum nomine in tabernaculi sumptus munera obtulerunt quam potuere maxima. Ad Moysis, opinor, imitationem, David et Salomon principes advocarunt familiarum et tribuum, ille ad tabernaculum, hic ad templum, quod magnâ religione ac sumptu uterque construxerat.

VERS. 2. — CONVENTITQUE AD REGEM SALOMONEM UNIVERSUS ISRAEL IN MENSE ETHANIM, IN SOLEMNI DIE (1). Pro mense Ethanim lib. 2 Par. c. 15, habet: *In die solemni mensis septimi. Hic porrò mensis noster septembris est, Hebræorum à captivitate Babylonicâ Tisri, in quo cum multa sint festa, ut constat ex Hebræorum calendario, illud tamen est celeberrimum quod tabernaculorum à Latinis, à Græcis scenopegia vocatur, id est, tabernaculorum fixio. De quo Levit. c. 23, v. 34: Quinto decimo die mensis hujus septimi erunt ferie tabernaculorum septem diebus Domino. Hoc porrò festum erat trium illorum unum, ad quæ omne masculinum venire jubetur singulis annis ad locum, quem Dominus elegerit: cumque tunc elegerit Jerusalem, ad Jerusalem utique venire lex jubet. Sic Deut. c. 16, v. 16: Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit in sollemnitate azy-morum, in sollemnitate hebdomadarum, et in sollemnitate tabernaculorum.*

Eo tempore non solum principes tribuum, et familiarum duces, sed etiam alii omnes è masculino sexu juxta legis præscriptum venturi erant ad decimum quintum diem septimi mensis in tabernaculum; nimirum ad Gabaon, ubi tunc erat, ut constat 2 Par. c. 1, v. 3; cum autem eò venturus esset de more populus, edixit Salomon tribuum, populique principibus absolutum jam esse templum, et in

(1) Alleg. dedicatio templi significabat dedicationem Ecclesiæ, et cujuslibet templi christiani, de quâ vide nostrum Martinum de Roa lib. de Natali die cap. 21.

Tropolog. significabat dedicationem animæ sanctæ, præsertim B. Virginis, de quâ vide Petrum Damiani, serm. 2 de Nativitate B. Virginis, ubi illam cum templo Salomonis comparat. Quomodo anima fiat domus et templum Dei, docet Philo lib. de Cherubim, S. Macarius homil. 1 et 10, S. Bernardus serm. de Dedicat. Corn. à Lap.)



illud transferendam arcam; quare curarent pro sua quisque parte, ut quod facturi essent populi in Gabaon, id facerent in Jerusalem, ubi templum jam erat, id est, stabile Domini tabernaculum, ubi obire possent solemmem illum diem designatum à lege, et interesse templi dedicationi. Quod illi edictum susceperunt libenter, et quod in mandatis acceperant tam ipsi, quam universi de populo præstiterunt. Fuisse porro ante Ægyptium tempus quædam mensium, imò fortassè omnium mensium nomina, quorum aliqua sub hoc tempus adhuc erant in usu, diximus supra c. 6, in principio. Mensis autem septimus idèò creditur dictus Ethanim, id est, fortium, quia eo mense fortes sunt, atque maturi fructus; aut quia in eo mense, si posteriora secula intuearis, multa fuerunt et celeberrima festa, quæ, si quidpiam aliud, fortitudinis nomen addere temporibus poterunt.

VERS. 3 et 4. — VENERUNTQUE CUNCTI SENES DE ISRAEL, ET TULERUNT ARCAM SACERDOTES, ET PORTAVERUNT ARCAM DOMINI, ET TABERNACULUM FŒDERIS, ET OMNIA VASA TABERNACULI, QUÆ ERANT IN TABERNACULO. Cùm ergo senes, et cum illis magni populorum conventus confluisissent, ex arce Sion sacerdotalibus humeris ad novum templum arca translata est, et cum ipsa tabernaculum fœderis, et cum illo instrumenta omnia, quorum erat in tabernaculo sacer, et quotidianus usus, quæ ut in tabernaculo prius, sic etiam postea in templo servierunt. Quod autem fuerit tabernaculum illud, quod nunc in templum dicitur fuisse translatum, non est omninò certum. Quidam Davidicum esse putant, alii Mosaicum, quod sub id tempus erat in Gabaon. Plerique eò inclinant, ut putent tabernaculum esse Mosaicum; ita Josephus lib. 8 Antiq. c. 2, Ribera lib. 1 de Templo c. 2, Serarius hoc loco, Abul. 2 Par. c. 15, q. 15, neque hujus sententiæ rationes sunt infirmæ. Prima, quia illud tabernaculum dicitur fœderis, quod nomen de tabernaculo Moysis sæpius auditur. Neque illud fœderis additum esset ab scriptore sacro, nisi eà notâ distinguendum esset ab aliis. Adde quòd David pro arcâ nullo compegit mobile tabernaculum, sed domum in quâ sub pellibus collocavit arcam. Sic enim David ipse, lib. 2 Reg. cap. 7, v. 2, ad Nathan: *Vides quòd ego habitem in domo cedrinâ, et arca Dei posita sit in medio pellium, et clariùs lib. 1 Par. c. 15, v. 4: Fecit quoque sibi domos in civitate David, et edificavit locum arcæ Dei, et tetendit ei tabernaculum.* Ubi ta-

bernaculum non videtur compactum è tabulis, sed contextum è pellibus: tabulæ enim non tenduntur, sed pelles. Quòd si arca Dei in civitate David foret in tabernaculo, quod transferri posset, eo translato, non erat cur in domo David habitare non sineret Pharaonis filiam, quam idèò in aliam domum migrare fecit, ne domum inhabitaret ab arcæ consecrati sanctificatam; Paral. lib. 2, c. 8, v. 11: *Non habitabit (ait Salomon) uxor mea in domo David regis Israel, eò quòd sanctificata sit, quia ingressa est in eam arca Domini.* Neque aliter puto fuisse arcam in domo David, quàm fuerat priùs in domo Abinadab in Cariathiarim, et postea in domo Obededom, nisi quòd domus David erat ornatior. Neque tam esset Jeremias sollicitus de subducendo Chaldæorum furori tabernaculo quod cum arcâ in speluncâ quâdam servari voluit, nisi illud tot seculis esset sanctificatum; ab arcâ, et tanto in honore ab Israelitis semper habitum. De quo vide lib. 2 Mach. c. 2. Inductum est igitur in templum tabernaculum Moysis, in eoque religiosè servatum in aliquo loco penitiori, donec à Jeremiâ inde sublato est, et exemptum Chaldæorum imperio.

Hoc porro tabernaculum variis temporibus varia subinde loca permutavit. Primùm, quamdì filiorum Israel peregrinatio duravit, nullo habuit locum, in quo certam haberet sedem; ubi verò subactâ terra Israelitarum habitationi promissa, ad tempus usque Samuelis stationem habuit firmam, et suam in Silo, in Ephraimitide videlicet sorte, Josue c. 18. Postea traductum fuit in Nobe, eo fortassè tempore quo capta fuit arca, ut putant Augustinus, Euthymius, et recentiores quidam, ad illud Psal. 77: *Et reputit tabernaculum Silo.* Fuit autem in Nobe, quo tempore David, ut Saulis declinaret furorem, in Palæstinam profectus est. Non longè indè migravit in Gabaon, ut habes lib. 2 Paral. cap. 1. Ac tandem ex Gabaon in templum, donec à Chaldæis excisum est, et inde ad speluncam, de quâ Machab. lib. 2, cap. 2. Quid deinde actum fuerit de tabernaculo, nihil certum habemus.

VERS. 5. — ET IMMOLABANT OVES ET BOVES, ABSQUE ESTIMATIONE ET NUMERO. Quo modo atque ordine immolata fuerint innumerabiles hæ victimæ, non constat. Illud certum, in ipsâ pompâ atque traductione arcæ vim illam tantam victimarum fuisse consumptam. Sic enim proximè: *Omnis multitudo Israel, quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum illo (Salomone) ante arcam, et immolabant oves et boves, etc.* Quare credo eum in sacrificando Salomonem servasse modum, quem aliis pater in transferendâ arcâ ex domo Obededom ante præscripserat lib. 2, c. 6, v. 15, nempe ut ad sextum quemque passum bos immolaretur, et aries. *Cumque transcendissent, qui portabant arcam Domini, sex passus, immolabant bovem, et arietem.* Labet hic adjicere quod tradit Josephus lib. 8, c. 2, de hæc arcæ solemnè traductione: *Accesserunt, inquit, illò, cum victimis tam rex quàm populus ac levitæ, libaminibus ac hostiarum sanguine viam perfundentes, et infinitam vim odoramentorum adolentes et ut circumquaque totus aer suavitate repletus etiam longè remotis sentiretur, constanti omnium opinione adventare Deum ad inhabitandum recens extractum et dedicatum sibi locum: nam neque hymnos canentibus, neque choreas ducentibus lascitudo est oborta, donec ad templum pervenirent.*

VERS. 6. — INTULERUNT SACERDOTES ARCAM FŒDERIS DOMINI IN LOCUM SUUM, IN ORACULUM TEMPLI, IN SANCTUM SANCTORUM, SUBTER ALAS CHERUBIN. Hæc obscura non sunt: tantum enim docent, quem in locum fuerit arca fœderis illata, in secessum nimirum interiorum, qui Sancta sanctorum dicitur; in locum illum, quem duo cherubin ex oleagino ligno à Salomone fabricati alis obumbrabant. Illud hic notandum, ex hoc loco argumentum aliquod deduci ad illius sententiæ fidem, quæ dicebat aliquod in domo interiori esse altare, id est, excelsum aliquem locum, cui insideret arca, quam alii in ipso oraculi solo putant esse locatam, quâ de re supra c. 6, ad v. 20. Nam antequàm arca in Sancta sanctorum esset illata, certus aliquis locus illius esse dicitur, quem locum cherubinarum alæ desuper tegebant, obumbrabantque, ubi statim aliquid occurrit eminentius, cui insistant, et supra quod alas suas expandant cherubini.

VERS. 7. — SIQUIDEM CHERUBIN EXPANDEBANT ALAS SUPER LOCUM ARCÆ, ET PROTEGEBANT ARCAM, ET VECTES EJUS DESUPER. De alis cherubin diximus c. 6, à versu 25. Nunc verò videndum an hi solùm cherubini fuerint in templo Salomonis cum arcâ; vel etiam fuerint alii duo, quos minori quidem mole, ex auro tamen solido conflavit Moyses, qui alio quodam modo tegebant, mediamque videbantur arcam amplecti expansis alis, non tamen ita ut parietes attingerent extremæ pennæ, sed ut alterius

extremæ alterius extremas alas contingerent, et se vicissim, et subjectam arcam simul intuerentur. Communis est sententiâ, quatuor arcæ adesse cherubinos, duos affixos, quos Moyses arte conflarat, quique ab arcâ separari non poterant, quia in unum eum illâ corpus coaluerant, duos tantum assistentes, et ab arcâ sepositos, quos à Salomone fabricatos esse diximus. Hi duo Salomonii orientem solem spectabant secundum arcæ longitudinem, et tam arcam, quàm duos alios cherubinos Moosaicos inferiores habebant, et pansis obumbrabant alis, Mosaici verò cherubini ad aquilonarem et australem plagas conversi utriusque lateri secundum latitudinem adhærebant. Ita Abulensis Exod. c. 18, q. 25; Beda de Templo c. 15; Ribera lib. 2 de Templo, cap. 7; Villalpandus tom. 2, in cap. 4 Ezechielis. Quod mihi etiam valdè placet: neque enim est verisimile Mosaicos cherubinos ab arcâ Mosaicâ, cum quâ unum omninò corpus effecerant, à Salomone fuisse revulsos.

ET VECTES EJUS DESUPER. De vectibus, aut perticis oblongis, quibus arca a sacerdotibus portabatur, habes Exod. c. 2, à v. 12: *Factes quoque vectes de lignis setim, et operies eos auro; inducesque per circulos, qui sunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis, qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis.* Ex quo colliges, neque unquam ab arcâ vectes esse sublato, neque à Salomone postea ex annulis eximi debuisse. Addit Josephus secundum arcæ longitudinem, infixos esse annulos, et vectes trajectos, lib. 5 Ant. c. 6: *Ex utroque, inquit, longiori latere inerant annuli aurei duo totum lignum penetrantes, et per eos vectes aurati utrinque trajecti, ut quoties opus esset utrinque transportari posset, neque a jumentis vehebatur, sed sacerdotum humeris transferebatur.*

VERS. 8. — CUMQUE EMERENT VECTES, ET APPAREBANT SUMMITATES EORUM FORIS SANCTUARIUM ANTE ORACULUM, NON APPAREBANT ULTRA EXTRINSECUS, QUI ET FUERUNT IBI USQUE IN PRÆSENTEM DIEM. Hic locus nonnihil est implexus, qui in varias cogitationes adduxit interpretes, et oritur gravior inde difficultas et labor. Nam tabernaculum Mosaicum templo Salomonia, domo nimirum Dei, quæ in Sancta dividitur et Sancta sanctorum, duplo erat angustius (ut ex mensuris constat, quas habemus Exod. c. 26, sanè Josephus lib. 5 Antiq. c. 5, longum esse dicit triginta cubitos, latum duodecim). Neque ex arcâ, quæ suam sibi sedem habebat



in oraculo, juxta divinum præceptum vectes unquam extrahebantur. Nunc autem oraculum longè capacius non videtur arcam cum vectibus capere potuisse; alioqui non diceretur vectium summitas extra Sanctuarium apparere.

Rabb. Salomon citatus à Lyrâ, tam longos fuisse dicit vectes, ut illorum capita, quæ directò ad portas ferebantur oraculi, ab his, qui exterius erant, videri potuerint; non tamen nuda, sed interposito velamento, quod duæ templi distinguebantur partes, quod foras impellebant porticum capita; et sic intuentibus apparebant tecta; quomodò plena feminarum ubera, quæ non ita teguntur velo, ut non ipsa suo se tumore prodant. Sed errat hic Rabb. Salomon, ut alibi millies: neque enim vectes, aut si quid aliud latebat in oraculo, impellere poterant, aut attingere velamentum, cum ante illud murus esset, et in muro portæ, quæ utramque domum interjectæ dividerent. Sanè si Rabb. Salomon iste de tabernaculo Moysis loqueretur, magis esset ferendus; at cum hic de Salomonis templo sermo sit, non video quæ possit esse veritatis species.

Alii extractos esse dicunt vectes ex arcâ non omninò, neque enim extrahi poterant, ita ut non essent cum arcâ conjuncti; sed paululum versùs oraculi portam prolongati, ut vox habet Hebraica; quod ideò videtur factum, ut in destinato loco posset arca collocari commodius: nam vectes ex alio latere prominentes obstare possent, quominùs adverso domus interioris, et extremo muro propius posset admoveri arca, atque ideò produci potuerunt, usque ad oraculi portam, ita ut ab his, qui propè aderant, videri potuerint. Quod miror cuiquam placuisse, nisi dicamus vectes illos viginti cubitorum habuisse longitudinem, quantum nimirum longitudinis oraculum habuit, quod sanè videtur creditu difficile.

Quare placet quod plerique alii interpretum opinantur, nempe vectes arcæ quæ in medio interioris domus erat locata, habuisse capita ad januam obversa longiusculè ab oraculi januâ; quare videri poterant ab his, qui in exteriori domo non procul essent; ab aliis verò non item. Quòd ad januam accederent vectium extrema, ab his etiam videri potuissent, qui aliquantulum distarent ab aditu. Quòd autem perticarum capita oraculi portam non attingerent, sic mihi persuadeo, atque aliis non difficilè probatum iri puto, quia eodem loco arca cum eisdem vectibus fuit in tabernaculo, atque postea in Salomonis templo: cumque taber-

naulum duplo penè esset angustius, ut paulò ante dicebamus, caperetque laxè arcam cum suis vectibus, quos nunquam licebat ab arcâ distrahi, cur existimabimus eidem moli angustum esse templum, cujus longè major erat amplitudo, cui tabernaculum antea non esset angustum?

Verba autem textus, quæ aliquantulum videntur impedita, et dubia, sic explico: *Cumque eminerent vectes*, nimirum ab arcâ, quia multò erant arcâ longiores, et ideò necesse erat, ut propius quam arca ad oraculi introitum accederent: eminebant itaque vectes non ab oraculo, sed ab arcâ. *Et apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum.* Trabium capita ad eam partem, quæ erat ante oraculum, id est, ante arcam, quæ propriè oraculum dicitur (unde domus interior oraculi sibi nomen assumpsit, erat autem directò ante arcam oraculi ostium), extra Sanctuarium videbatur ab his, qui erant ante oraculum, id est, ad oraculi aditum. *Non apparebant ultra extrinsecus*, id est, illis tantum apparebant vectium summitates, qui aut ad ipsum ostium accesserant tabernaculi, aut qui certè proximè constiterant, quia nimirum locus erat obscurus, et longiusculè vectes aberant ab aditu. Non autem apparebant iis, qui magis essent remoti (id enim valet, *ultra extrinsecus*, id est, magis ultra, aut extra oraculum), qui oculis assequi non poterant id quod solùm videri poterat ex arcâ. Hoc clariùs et omninò discimus ex lib. 2 Par. c. 5, v. 9: *Vectium autem, quibus portabatur arca, quia paululum longiores erant capita, parebant ante oraculum; si verò quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterat.*

QUI ET FUERUNT IBI USQUE IN PRÆSENTEM DIEM. Sicut vectes juxta Domini præceptum Exod. 25, nunquam ex arcæ annulis fuerunt extracti, quamdiù fuit in tabernaculo Moysis, sic etiam quamdiù in templo fuit ad tempus usque illius, qui scripta hæc tradidit sacris monumentis, quicumque ille fuit, de quo, ut in Prolegomenis diximus, nihil habemus certum. Est autem verisimile, sicut nunquam antea, sic etiam neque ulteriori ævo vectes ab arcâ fuisse distractos.

VERS. 9. — IN ARCA AUTEM NON ERAT ALIUD, NISI DUE TABULÆ LAPIDEE. Quod hic dicitur de duabus tabulis in arcâ conclusis, idem etiam habetur lib. 2 Par. c. 5, v. 10: *Nihilque erat aliud in arcâ nisi duæ tabulæ, quas posuerat Dominus in Horeb.* Huic tamen loco adversari videtur alius ex Epistolâ ad Hebræos c. 9, v. 4,

ubi Apostolus Aaronis virgam, quæ fronduerat, et manna in aureâ urnâ inclusit. Cum enim ageret de Moysis tabernaculo, ait: *Post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in quâ urna aurea habens manna, et virgam Aaron, quæ fronduerat, et tabulæ testamenti.* Ex hoc loco Cajetanus colligit hanc Epistolam neque Pauli esse, neque pondus habere canonicæ fidei, quasi aliquid hic videat Scripturæ contrarium. Propter quod vir tantus malè, neque immeritò ab aliis accipitur. Alii magis moderatè ac piè conciliare student hæc duo loca, quæ non satis videntur inter se convenire, quod multis faciunt modis; idque non inscitè, neque sine aliquo, eoque non vulgari pondere, quorum referre cogitationes, quia res gravis, et à multis exagitata, nonnullum erit operæ pretium.

Quidam omninò negant in arcâ fuisse virgam Aaron, et auream urnam habentem manna. Ita Lyranus in hunc locum, Abulensis ibidem q. 6; Cajetanus, et Burgensis in Epistolâ ad Hebræos; Ribera lib. 2 de Templo, c. 2; Azor t. 1, lib. 6, c. 47, et alii quidam, qui variè hunc locum cum Pauli Epistolâ componunt, quæ omnia Ribera loco proximè citato tractat diligenter, et putat illud in quâ, non referri ad arcam, ubi urnam, et virgam esse negat, sed ad tabernaculum, quod licet apud Latinos generis sit neutrius, apud Græcos tamen generis est feminei, neque nostro est inusitatum interpreti, ut in translationibus originalis linguæ genus servet et phrasim. Quare putant non intra arcam, sed proximè in tabernaculo ista duo fuisse conclusa. Cum autem videret huic cogitationi vehementer obstare, quod in eodem Pauli loco proximè sequitur, *superque eam cherubini gloriæ obumbrantia*, neque enim cherubin tabernaculum, sed arcam obumbrabant, propterea aliam addit solutionem, et illud, in quâ, referendum dicit ad testamentum, quod statim in obliquo arcæ subjicitur. Est autem testamentum Græcè *διαθήκη* generis feminini. Hoc porrò testamentum adumbrabant cherubini, quia lex, id est, Deuteronomium, juxta arcam erat in tabernaculo, ita ut à cherubinorum alis obumbrari potuerint. Sed multa hinc apparent valdè contorta, quæ non nisi admodum durè trahuntur ad textum. Quare tertiam addit explicationem, et illud, in, idem significare putat, quod cum, in hunc sensum: *Cum arcâ erant etiam in tabernaculo urna*

*« manna, et virga Aaron, et tabulæ testamenti. »* Quasi diceret: Non erat arca solùm in tabernaculo, nam præter illam erant etiam hæc tria; sed quonam loco essent, intrane, aut extra arcam? non dixit, brevitatè gratiâ, ideò subdidit: *« De quibus non est modò dicendum « per singula. »* Et quidem in, aliquando idem valere quod cum, ipse docet Ribera, exemplisque confirmat. Quod nos etiam diximus, exemplisque probavimus super Ezechielem ad illud, cap. 16: *Et fornicata es in filiis Assyriorum*, id est, cum filiis Assyriorum. Sed sanè cum eodem textu filioque sermonis in aliter sumatur, in propriâ nimirum magisque communi significatione, cum de tabulis sermo est, quæ sine dubio fuerunt intra arcam, et eodem ordine copulenter alia, durum est ab eodem loco velle distrahere, quæ eâ ratione copulenter, et aliud in uno loco, et aliud in alio sibi velle, cum eodem prorsus modo omnibus applicetur. Neque unius vocis semel in aliquo loco positæ, et cum multis aliis eodem ordine copulandæ, aut mutari solet, aut debet significatio. In, ut vides semel tantum ponitur, atque ideò in singulis vocibus iteranda, hoc modo: *« In quâ « urna aurea habet manna, et in quâ virga « Aaron, quæ fronduerat, et in quâ tabulæ « testamenti. »* Quis non videt eandem ubique esse propositionis in vim? et hæc eadem ratio solvit illorum cogitationem, qui altero loco putant in idem esse quod juxta. Nam licet in hoc aliquando valeat, tamen non videtur in eodem textu tantam fieri debere mutationem.

Quare dicendum videtur, ut apertè docent verba Pauli, intra arcam fuisse cum duabus tabulis lapideis urnam, manna, et virgam Aaronis. Quod docent ad hunc Pauli locum interpretum plerique, August. q. 105 in Exod., S. Thomas, Theophylactus, Oecumenius, Salmeron, et plures alii in Paulum. Montanus in Apparatu lib. de Siculo. Et quidem locis, quæ contrarium suadere existimantur, adhiberi potest multiplex, neque omninò incommoda, aut infirma solutio. Quidam sic nodum istum expediunt, ut sermo hic tantum sit de legibus quas Dominus universè Israeli præscribit, ex quibus illæ tantum servabantur in arcâ, quas suo digito Dominus tabulis inscripserat: non tamen negatur aliquid aliud præter tabulas ipsas in arcâ concludi. Quòd verò leges aliæ extra arcam servatæ fuerint in tabernaculo, constat ex cap. 31 Deuteronom. v. 24: *Postquam ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine, atque complevit, præcepit Levitis, qui*